

Nicolaus Christianus Roennberg

**Meditationes Svccinctae Ad Distinctionem Fevdorvm In Data Et Oblata Qvas ...  
Gabrieli Andreæ Danckwardt ... Mariam Elisab. Henricam Roggenbaven ... Die 2.  
Dec. MDCCXXXVIII. Laetis Avspiciis In Matrimonivm Dvcenti, Gratvlatvrvs  
Offert Splendissimæ Hvivs Familiæ**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1749]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1697204465>

Druck Freier  Zugang



Jg  
3119

Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

Mg - 3119

32  
MEDITATIONES SVCCINCTÆ  
AD  
DISTINCTIONEM FEVDORVM IN DATA ET OBLATA,

QV AS  
VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
GABRIELI ANDREÆ  
DANCKWARDT,

CAMERÆ IN REPVL. ROSTOCHIANA SECRETARIO  
FIDELISSIMO, FAVTORI ATQVE AMICO SVO  
AESTVMATISSIMO,

VIRGINEM GENEROSAM VIRTVTIBVSQVE  
DECENTIBVS CONSPICVAM

MARIAM ELISAB. HENRICAM  
ROGGENBAVEN,

VIRI AMPLISSIMI NECNON PRVDENTISSIMI  
IOANNIS HENRICI ROGGENBAV,

SENATORIS DE REPUBLICA ROSTOCHIENSI  
MERITISSIMI, NEC NON MERCATORIS CELEBERRIMI,

FILIAM NATV MAJOREM,

DIE 2. DEC. 1628 CCXXXVIII.

LAETIS AVSPICIIIS IN MATRIMONIVM DVCENTI

GRATVLTVRVS OFFERT

*SPLENDIDISSIMÆ HVIVS FAMILIÆ*

Cultor obsequiosissimus.

NICOLAVS CHRISTIANVS ROENNBERG,

JVRIVM ET PHILOS. CVLTOR.

---

ROSTOCHII, LITTERIS ADLERIANIS.

*A. T.*

VIR PRAENOBILISSIME  
ET DOCTISSIME,  
FAVOR ATQVE AMICE AESTVMATISSIME

**V**ti quisque est optime moratus, sic vel aduersa vel secunda, quae amicis contingit, fortuna aut iustissimo grauissimoque dolore adfigi, aut incredibili laetitia adfici solet. TE igitur, quem fautorem honoratissimum ac amicum inter paucos dulcissimum omni honoris cultu, ac integerrimo, quo possum, amore complecti mihi licet, indissolubili matrimonii vinculo Virginem & generis honore & formae, virtutisque laude inter omnes splendescentem TIBI adsociaturum esse, postquam audiui: statim de publica insignis, quam ex tanta TVA felicitate hausi, animi voluptatis tessera TIBI praebenda cogitavi. En! has exiguas plagellas, quas TIBI ex integerrimo mentis adfectu dicatas in lucem prodire iussi. Faxit interim benignissimum Numen, ut TIBI una cum dilectissima TVA Sponsa, mox Coniuge, perpetua salute perfruenti Nestoreos adtingere annos, mihi que de splendore Domuum splendidissimarum DANCKWARTIANAE & ROGGENBAVVIANAE magis magisque inclarescente gaudere liceat. Perpetuo TVO favori me commendo. Datum ut habeas, eo, quo decet, animo TIBI deuinctissimo peto. Vale!

MEDI-





MEDITATIONES SVCCINCTAE  
AD  
DISTINCTIONEM FEVDORVM  
IN DATA ET OBLATA,

---

SECTIO I.  
DE FEVDO INGENERE

§. I.

Antequam de ipsa feudorum in data & oblata distinctione, eiusque vero usu practico, de quo permultae sunt doctorum inter sese pugnantes sententiae, differimus, haud incongruum esse ducimus de feudorum qualitatibus in genere nonnulla praemittere. Quibus satis enucleatis, riteque expositis, eo facilius aditum ad cognoscendam diiudicandamque eorum veritatem, quae his tanquam principiis superstructa sunt, lectoribus patebit.

§. II. Feudum, pro re sumptum, est res immobilis, cuius dominium inter dominum directum & vasallum sub lege fidelitatis mutuae diuisum est.

) 2

Feu-

Feudum, pro contractu feudali sumptum, definimus quod sit contractus inter dominum & vasallum de dominio rei cuiusdam immobilis sub lege fidelitatis mutuae diuidendo, iuritus. Ex quo contractu feudali consumato, ut mutuae obligationes, sic mutua etiam enascuntur iura, scilicet a parte domini ius domini directi, a parte vasalli ius domini utilis, quae utraque etiam nomine feudi venire solent.

*Schol.* Non sine ratione definimus feudum, quod sit res immobilis. In re enim mobili, qua tali, nequam posse feudum constitui, vel mediocriter in iurisprudencia feudali versatis notum est, 2. F. 1. nisi res mobilis respectum immobilitatis per intellectum iuris admittit.

§. III. *Essentialia* feudi dicuntur ea requisita per leges determinata, quae ipsam feudi formam efficiunt, adeoque illa salua, abesse nequeunt, e. gr. *res immobilis, dimidiatio domini inter dominum & vasallum, fides.* Quibus itaque positis, feudum poni, iisque sublati feudum ipsum tolli necesse est. Hinc patet, essentialia neque probatione indigere, nec in contrarium probationem admittere.

§. IV. *Naturalia* feudi dicuntur ea requisita legibus aut moribus feudalibus vel vniuersalibus vel particularibus stabilita, quae feudi formam non efficiunt, regulariter tamen feudo solent inesse, e. g. *praestatio seruitiorum, iurata fidelitatis promissio a parte vasalli, prohibita libera feudi alienandi facultas &c.* Naturalia etsi adesse solent & praesumuntur; abesse tamen utique posse ac probationem in contrarium admittere, ex definitione patet.

§. V. *Accidentalibus* feudi denique dicuntur ea, quae per pactum contractui feudali a contrahentibus sunt adiecta, nec a legibus aut moribus feudalibus determinata. Quae cum sint res facti, non praesumuntur, adeoque omnino indigent probatione. Duplici modo accidentalibus feudo inesse possunt. Vel saluis omnibus, praeter essentialia, naturalibus quidquam singulare potest adici; vel naturalia feudi per pacta mutantur: illo casu *augmentia*, hoc *minuentia* audiunt.

§. VI. Si omnia adsunt essentialia feudi, *verum adest feudum* :  
quae.

quaedam vero tantum essentialia non omnia efficiunt *ius feudo vicinum*, non vero *feudum ipsum*.

§. VII. Feudum audit *proprium*, cui nulla inhaerent accidentalialia; hinc feudo proprio, non solum praeter essentialia, omnia naturalia sunt salva, sed nihil etiam singulare per pactum habet adiectum; per def.

*Schol.* Cum naturalia feudi sunt ea feudi requisita, quae per leges ac mores feudales vel vniuersales *sive ius feudale commune*, vel particulares cuiusdam regionis sunt determinata; p. def. §. IV. fieri potest, vt feudum, quod secundum leges ac mores feudales particulares proprium est, intuitu legum & morum feudalium vniuersalium, *sive iuris feudalis communis*, improprium sit. E. g. secundum ius feudale commune in feudo nouo soli primi adquirentis descendentes masculi succedunt, exclusis collateralibus & adscendentibus; sed secundum mores feudales particulares in Megapoli per publicas leges adprobatos confirmatosque in feudo nouo, quod per emptionem & venditionem ab vna in alteram familiam transit etiam primi adquirentis collaterales & adscendentes vsque ad quartum gradum inclusue successione sunt capaces; per Reuers. de anno 1621. §. XXX.

§. VIII. Feudum dicimus *improprium*, cui accidentalialia inhaerent. Id quod duplici fieri potest modo. Feudo enim vel saluis essentialibus omnibus, naturalia quaedam per pactum sunt adempta; vel saluis omnibus, praeter essentialia, naturalibus, quidquam insoliti per pactum est adiectum; in vtroque casu adsunt accidentalialia §. V. adeoque duplici modo feudum potest esse improprium.

## SECTIO II.

### DE VERO ET FALSO VSV PRACTICO DISTINCTIONIS.

§. IX. Sane mirandum est, tot tantosque iuris feudalis doctores: in demonstrando practico distinctioni feudorum in data & oblata vsu tantopere a veritate aberrasse & nescio quam

) 3

infi-



insignem usum practicum iactitasse. Nobis itaque, ne a recta via falsis praesuppositis in devias doctorum vulgares tramites trahamur, eo cautius nobis progrediendum esse, censemus.

§. X. Feudum, quod a domino in re propria constitutum, vasallo traditur, audit *feudum datum*. Oblatum vocamus id, quod vasallo constituitur a domino in re, cuius dominium antea a vasallo offerente in dominum vel per veram vel per fictam traditionem sub lege inuestiendi translatum erat.

*Schol.* Ne verbum quidem de feudo oblato in textu iuris Longobardici inuenimus, quippe quod ordinariae feudorum naturae, quam ius Longobardicum docet, contrariari videtur 2 F. 23. hinc in diiudicanda feudorum oblatores natura soli mores Germaniae, ex quibus originem trahunt, sunt adtendendi,

§. XI. Si recte consideres definitiones nostras in §pho antecedente datas, patebit, feudum oblatum aequae ac datum a domino in re propria constitui. Falsa itaque esse debet vulgaris illa doctorum opinio, scil. quod feudum oblatum, quia a domino in re aliena constitutum non ex beneuola domini liberalitate proficisceretur, sit *improprium*. Sed remoto falso isto praesupposito, veritati magis consentanea erit doctrina, feudum oblatum esse proprium, & cum quoad naturalia, tum essentialia cum feudo dato conuenire. Quae itaque singularia contra ordinariam feudorum naturam in feudis oblati vel in domini vel in vasalli fauorem inuenimus, considerata sunt tanquam accidentalialia, quae per pacta adiecta res facti sunt, adeoque non praesumuntur, sed probanda sunt.

§. XII. In dubio neque domino neque vasallo pinguius ius in feudis oblati est tribuendum, adeoque in neutrius fauorem quidquam singulare tanquam ex ipsa feudorum oblatores natura fluens est praesumendum; per §. X. & §. XI. in fine.

§. XIII. Non incongruum erit ea, quae haecenus a nobis sunt dicta, ad quosdam casus adplicare. Si e. g. vasallus offerens

rens

rens iam ante oblationem fuit subditus domini, cui oblatio facta: quaeritur, vtrum in domini fauorem quid fingulare tanquam ex ipsa feudi oblatis natura fluens sit praesumendum? Nos omnino negamus, nec sufficiens videtur contrarii ratio, quae ab Auctore Anonymo reflectionis ad distinctionem feudorum in data & oblata litteris publicis, quae vulgo Intelligence-Blätter vocantur-, ad numer. XXVII. inserta traditur, quod scil. vasallus ante oblationem subditus conditionem suam cum domini incommodo reddiderit meliorem. Huic enim obstat, quod offerens plenum ius domini, quod antea in re nunc in feudum oblatum habuit, amiserit, & dominus sibi iura domini directi satis proficua adquisierit per factam alienationem; adeoque ille potius suam conditionem deteriore & dominus meliorem reddiderit. Saltem vtrique oblationem commode fuisse docendum erit.

Ponamus alterum casum: Si offerens non est subditus domini, cui oblatio facta, quaeritur, vtrum tunc quidquam in commodum offerentis ex ipsa feudi oblatis natura fluat? Negando respondemus; quippe nulla adest ratio sufficiens, quae moueret, vt potius in offerentis, quam in domini commodum quidquam in dubio statuamus. Nec facit ad rem, dominum sibi in hoc casu cum damno offerentis adquirere iura, offerentem vero iuribus suis in re sua renunciare: vasallus enim offerens, etsi nonnulla iura amittit, vasalli tamen iura & commoda sibi adquisierit, adeoque statum suum potius reddit meliorem, quam deteriore.

§. XIV. In applicanda igitur hac a nobis demonstrata doctrina de feudis oblatis ad specialem casum, si e. g. quaeratur: quid referat, feuda N. N. esse data aut oblata? praepriis non modo eliminanda sunt ista a nobis in §pho XI. & XII. refutata doctorum praeiudicia, sed etiam ex historia particulari probandum feuda, de quibus quaestio, esse oblata; & tum denique inquirendum, vtrum per pacta primae inuestiturae adiecta quidquam fingulare aut in domini aut vasalli fauorem sit introductum. Quibus deficientibus feuda oblata semper habentur in dubio, vti sunt propria non impropria.


§. XV.

§. XV. Ex hactenus dictis patet, sententiae doctorum, quod  
vasallo magis sit honorificum, si possidet feudum oblatum quam  
datum, haud esse subscribendum: feuda enim oblata aequae ac  
data ex beneuola domini liberalitate proficiuntur,  
id quod ex paragrapho X. & XI. pronon-  
ciato fluit.

T A N T V M.







in signem vsum practicum ia  
via falsis praesuppositis in  
trahamur, eo cautius nobis p

§. X. Feudum, quod a dor  
fallo traditur, audit *feudum da*  
vasallo constituitur a domini  
vasallo offerente in dominu  
ditionem sub lege inuestiend

*Schol.* Ne verbum quidem de f  
dici inuenimus, quippe q  
quam ius Longobardicum de  
in diiudicanda feudorum ol  
niae, ex quibus originem

§. XI. Si recte consideres de  
cedente datas, patebit, feudum  
mino in re propria constitui  
illa doctorum opinio, scil. quod  
no in re aliena constitutum non  
proficisceretur, sit *improprium*. S  
finito, veritati magis consentanea  
esse proprium, & cum quoad  
feudo dato convenire. Quae i  
riam feudorum naturam in feud  
vasalli fauorem inuenimus, con  
dentialia, quae per pacta adiect  
praesumuntur, sed probanda su

§. XII. In dubio neque domin  
in feudis oblati est tribuendum,  
quidquam singulare tanquam ex  
tura fluens est praesumendum; p

§. XIII. Non incongruum erit  
sunt dicta, ad quosdam casus adp

obis itaque, ne a recta  
um vulgares tramites  
m esse, censemus.

propria constitutum, va  
m vocamus id, quod  
s dominium antea a  
m vel per fictam tra  
erat.

textu iuris Longobar  
e feudorum naturae,  
i videtur 2 F. 23. hinc  
a soli mores Germa  
tendendi,

stas in Spho ante  
que ac datum a do  
esse debet vulgaris  
tum, quia a domi  
domini liberalitate  
so isto praesuppo  
feudum oblatum  
essentialia cum  
ria contra ordina  
in domini vel in  
nt tanquam acci  
at, adeoque non

illo pinguius ius  
neutrius fauorem  
n oblatorum na  
XI. in fine.

actenus a nobis  
g. vasallus offe  
rens

